

ENARRATIO

IN PSALMUM CXXXVI.

Sermo ad plebem¹.

I. OBLITOS VOS ESSE NON ARBITROR, commendasse nos vobis, imo commemorasse vos, quod omnis eruditus in sancta Ecclesia nosse debet unde cives simus, et ubi peregrinemur, et peregrinationis nostræ causam esse peccatum, reversionis autem munus remissionem peccatorum et justificationem gratiæ Dei. Duas civitates permixtas sibi interim corpore et corde separatas currere per ista volumina sæculorum usque in finem, audistis et nostis; unam cui finis est pax æterna, et vocatur Jerusalem; alteram cui gaudium est pax temporalis, et vocatur Babylonia. Interpretationes etiam nominum, si non fallor, tenetis: Jerusalem interpretari, visionem pacis; Babyloniam, confusionem. Jerusalem in Babylonia captiva tenebatur non tota: cives enim ejus et Angeli sunt. Sed quod attinet ad homines prædestinatos in gloriam Dei, futuros per adoptionem cohæredes Christi, quos de ipsa captivitate redemit sanguine suo: particulam ergo istam civitatis Jerusalem captivam teneri in Babylonia pro peccato, incipere autem inde exire prius corde per confessionem iniquitatis et charitatem justitiæ, deinde postea in fine sæculi etiam corpore separandam, commendavimus in eo Psalmo, quem primo hic cum Vestra Dilectione tractavimus, qui ita in-

¹ Vide D. Guillon, tom. xxii, pag. 66-68.

cipit: « Te decet hymnus, Deus in Sion, et tibi reddetur » votum in Jerusalem¹. » Hodierna autem die decantavimus: « Super flumina Babylonis ibi sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion². » Videte quia in illo dictum est: Te decet hymnus, Deus, in Sion: hic autem, « Super flumina Babylonis ibi sedimus et flevimus, cum » recordaremur Sion: » illam Sion, ubi decet hymnus Deum.

II. Quæ sunt ergo flumina Babylonis, et quid est nostrum sedere et flere in recordatione Sion? Si enim cives inde sumus, non tantum hoc cantamus, sed et agimus. Si cives sumus de Jerusalem, id est, de Sion, et in ista vita, in ista confusione sæculi hujus, in ista Babylonia non cives habitamus, sed captivi detinemur; oportet ut non tantum ista decantemus, sed et faciamus affectu cordis pio, religioso desiderio æternæ civitatis. Habet et hæc civitas quæ Babylonia dicitur, amatores suos consulentes paci temporali, et nihil ultra sperantes, totumque gaudium suum ibi figentes, ibi finientes, et videmus eos pro republica terrena plurimum laborare: sed et in ea quicumque fideliter versantur, si non ibi appetant superbiam et perituram elationem odiosamque jactantiam; sed veram fidem exhibeant, quam possunt, quandiu possunt, quibus possunt, ad quantum vident terrena, et ad quantum intelligunt speciem civitatis, non eos sinit Deus perire in Babylonia: prædestinavit enim eos cives Jerusalem. Intelligit captivitatem eorum Deus, et ostendit illis aliam civitatem³, cui vere debeant suspirare, pro qua debeant cuncta conari, ad quam capessendam debeant cives suos secum peregrinos, quantum valuerint, adhortari. Propterea dicit Dominus Jesus Christus: « Qui in modico » fidelis est, et in magno fidelis est. » Et rursum dicit:

¹ Psal. LXIV, 2. — ² Id. CXXXV, 1.

« Si in alieno fideles non fuistis, vestrum quis dabit » vobis¹? »

III. Tamen, charissimi, attendite flumina Babylonis. Flumina Babylonis, sunt omnia quæ hic amantur et transeunt. Nescio quis amavit, verbi gratia, agriculturam ipsam exercere, inde ditescere, ibi occupare animum, inde percipere voluptatem: attendat exitum, et videat illud quod amavit non esse fundamentum Jerusalem, sed fluvium Babylonis. Alius dixit: Magna res est militare: omnes agricolæ formidant eos qui militant, obsequuntur eis, tremunt eos: si fuero agricola, timebo militarem; si fuero militaris, timebor ab agricola. O insane, in alium te Babylonis fluvium præcipitasti, et eum turbulentiorum et rapaciorum. Timeri vis a minore, time majorem: potest te ipso major fieri subito, qui te timet; nunquam autem erit minor, quem debes timere. Advocatum esse, inquit, magna res est, potentissima eloquentia, in omnibus habere susceptos pendentem ex lingua deserti patroni sui, et ex ejus ore sperantes vel damna, vel lucra, vel mortem, vel vitam, vel perniciem, vel salutem. Nescis quo te miseris: alius et iste fluvius Babylonis est; et quod multum sonat, strepitus aquæ saxa percutit. Attende quia fluit, attende quia labitur: et si attendis quia fluit et labitur, cave quia trahit. Navigare, inquit alius, et negotiari magnum est, scire multas provincias, lucra undique capere, non esse obnoxium in civitate alicui potenti, semper peregrinari, et diversitate negotiorum et nationum animum pascere, et augmentis lucrorum divitem remeare. Fluvius est et iste Babylonis. Lucra tua quando stabunt? Quando præsumpturus, quando securus eris ex his quæ acquiris? Quanto eris ditior, tanto timidior. Uno naufragio nudus exhibis, et recte te planges in flumine Babylo-

¹ Luc. xvi, 10 et 12.

nis, quia noluit sedere et flere super flumina Babylonis.

IV. Alii ergo cives sanctæ Jerusalem intelligentes captivitatem suam, attendunt humana vota et diversas hominum cupiditates hac atque illac rapientes, trahentes, impellentes in mare: vident hæc, et non se mittunt in flumina Babylonis; sed sedent super flumina Babylonis, et flent super flumina Babylonis, vel illos qui rapiuntur, vel se ipsos qui in Babylonia esse meruerunt: sedentes tamen, hoc est, humiliati. « Super flumina ergo Babylonis ibi sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion. » O sancta Sion, ubi totum stat, et nihil fluit! Quis nos in ista præcipitavit? Quare dimisimus Conditorem tuum et societatem tuam? Ecce inter fluentia et labentia constituti, vix quisquam raptus a flumine, si tenere lignum potuerit, evadet. Humiliati ergo in captivitate nostra sedeamus super flumina Babylonis, non nos audeamus in illis fluminibus præcipitare; nec nos audeamus in nostræ captivitatis malo atque tristitia superbe erigere, sed sedeamus, et sic fleamus. Sedeamus super flumina Babylonis, non infra flumina Babylonis: talis sit humilitas nostra, ut nos non mergat. Sede super flumen, noli in flumine, noli sub flumine: sed tamen sede humilis, loquere non quomodo in Jerusalem. Ibi enim stabis: quia de ipsa spe loquitur alius Psalmus, et cantat dicens: « Stantes erant » pedes nostri in atriis Jerusalem¹. » Ibi erigeris, si te hic pœnitendo et confitendo humiliaveris. In atriis ergo Jerusalem stantes erant pedes nostri. « Super flumina vero » Babylonis sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion. » Inde oportet ut fleas recordando Sion.

V. Multi enim flent fletu Babylonio, quia et gaudent gaudio Babylonio. Qui gaudent lucris et flent damnis, utrumque de Babylonia est. Flere debes, sed recordando

¹ Psal. cxxxi, 2.

Sion. Si recordando Sion fles, et quando tibi secundum Babyloniam bene est oportet ut fleas. Propterea dicitur in quodam Psalmo : « Tribulationem et dolorem inveni, et » nomen Domini invocavi¹. » Quid est quod dicit : « In- » veni ? » Nescio quam tribulationem quasi quærendam, invenit tanquam quæsitam. Et cum invenisset, quo lucro invenit ? Nomen Domini invocavit. Multum interest utrum invenias tribulationem, an inveniaris a tribulatione. Dicit enim alio loco : « Dolores inferni invenerunt me. » Quid est, « Invenerunt me dolores inferni ? » Quid est tribulationem et dolorem inveni ? » Quando te repente occupat tristitia, perturbatis tibi rebus sæcularibus quibus oblectabaris : quando te repentina ipsa invenit tristitia, unde te non putabas posse fieri tristem, accidit, et tristis efficeris, invenit te dolor inferni. Te enim sursum putabas, verumtamen deorsum eras : et cum te dolor inferni inveniret, ibi te invenisti deorsum, qui te sursum putabas. Invenisti enim te dolore affectum graviter, tristitia alicujus mali, unde forte præsumperas te non fore tristem : invenit te dolor inferni. Cum autem bene est tibi, arrident omnia sæcularia, nullus tuorum obiit, nihil in vinea tua forte vel aruit, vel grandinatum est, vel sterile apparuit, non acuit cupa tua, non abortum passum est pecus tuum, non exhonorus es in aliqua dignitate secundum sæculum constitutus, undique amici tui et vivunt et servant tibi amicitiam, clientes non desunt, filii obsequuntur, servi contremiscunt, conjux concors, felix dicitur domus : ibi inveni tribulationem, si aliquid potes, ut, inventa tribulatione, invoces nomen Domini. Perversum aliquid videtur docere sermo divinus, flere in lætitia, et in mœrore lætari. Audi in mœrore lætantem : « Gloriamur, inquit, in tribulationibus³. » Flentem au-

¹ Psal. cxiv, 3, 4. — ² Id. xvii, 6. — ³ Rom. v, 3.

tem in lætitia, vide, si invenit tribulationem. Attendat quisque ipsam felicitatem suam, qua exultavit anima ejus, et tumuit quodam modo gaudio, et extulit se, et dixit : Felix sum. Attendat, si non fluit illa felicitas, si potest certus esse de illa quia manet in æternum. Si autem non est certus, et videt fluere unde gaudet ; fluvius Babylonis est : sedeat supra, et fleat. Sedebit autem et plorabit, si recordatus fuerit Sion. O pax illa, quam videbimus apud Deum ! o illa sancta æqualitas Angelorum ! o illa visio et spectaculum pulchrum ! Ecce in Babylonia pulchra sunt quæ tenent : non teneant, non decipiant. Aliud est solatium captivorum, aliud gaudium liberorum. « Super flumina Babylonis ibi sedimus et flevimus, cum recordamur remur Sion. »

VI. « In salicibus in medio ejus suspendimus organa » nostra¹. » Habent organa sua cives Jerusalem. Scripturas Dei, præcepta Dei, promissa Dei, meditationem quamdam futuri sæculi : sed cum agunt in medio Babyloniæ, organa sua in salicibus ejus suspendunt. Salices ligna sunt infructuosa ; et hoc loco ita posita, ut non aliquid boni possit intelligi de salicibus ; alibi autem forsitan potest. Modo ligna intelligite sterilia, nascentia super flumina Babylonis. Rigantur hæc ligna de fluminibus Babylonis, et nullum fructum ferunt. Sicut sunt homines cupidi, avari, steriles in opere bono : ita cives Babyloniæ, ut etiam ligna sint illius regionis, ex istis voluptatibus rerum transeuntium pascuntur, tanquam rigata a fluminibus Babyloniæ. Quæris fructum, et nusquam invenis. Quando tales patimur, versamur cum eis qui sunt in medio Babylonis. Multum enim inter medium Babylonis, et exteriora Babyloniæ. Sunt qui non sunt in medio ejus, id est, non tanta concupiscentia sæculi et delecta-

¹ Psal. cxxxvi, 2.

tionibus obruuntur. Qui vero, ut aperte dixerim et breviter, multum mali sunt, in medio Babylonis sunt, et ligna sterilia, tanquam salices Babylonis. Quando illos videmus et tam steriles eos invenimus, ut difficile nobis appareat in eis aliquid unde possint duci ad fidem rectam, vel ad bona opera, vel ad spem futuri sæculi, vel ad concupiscentiam liberationis a captivitate mortalitatis; Scripturas novimus, quas eis dicamus: sed quia nullum fructum in eis invenimus, unde, incipiamus, avertimus ab ipsis faciem, et dicimus: Adhuc isti non sapiunt, non capiunt; quidquid illis dixerimus, sinistrum et adversum habebunt. Ergo differendo circa eos Scripturas, suspendimus organa nostra in salicibus: non enim dignos habemus, qui organa nostra portent. Non ergo eis organa nostra inserendo alligamus, sed differendo suspendimus. Salices enim sunt Babylonis ligna infructuosa, pasta temporalibus voluptatibus, tanquam fluminibus Babylonis.

VII. Et videte si non hoc sequitur Psalmus: « In salicibus, inquit, in medio ejus suspendimus organa nostra. Quoniam ibi interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos, verba canticorum; et qui abduxerunt nos, hymnum¹: » subaudis, « Interrogaverunt nos. » Verba canticorum et hymnum interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos. Qui nos duxerunt captivos, fratres? Quos sensimus aliquando captivatores nostros? Sensit quidem illa Jerusalem Babylonios, Persas, Chaldæos, et illarum gentium et regionum homines captivatores suos: et hoc postea, non quando isti Psalmi cantabantur. Sed jam diximus Charitati Vestræ omnia quæ secundum litteram in illa civitate contingebant, figuras nostras fuisse: et facile potest demonstrari captivos nos esse. Non enim respiramus jam in auras illius libertatis: non enim fruimur

¹ Psal. cxxxvi, 3.

puritate veritatis, et illa sapientia quæ in se ipsa manens innovat omnia¹. Delectationibus temporalium rerum tentamur, et collectamur quotidie cum suggestionibus illicitarum voluptatum: vix respiramus vel in oratione; captivos nos esse intelligimus. Sed qui nos captivos duxerunt? qui homines? quæ gens? qui rex? Si redimimur, captivi eramus. Quis nos redemit? Christus. A quo nos redemit? A diabolo. Diabolus ergo et angeli ejus captivos nos duxerunt; nec ducerent nisi consentientes. Nos ducti sumus captivi. Captivatores nostri dixi qui sint. Ipsi sunt etiam latrones vulnerantes illum viatorem, qui descendit ab Jerusalem in Jericho: quem sauciatum semivivum reliquerunt². Hunc ille custos noster, id est, Samaritanus, (Samaritanus enim custos interpretatur,) cui objectum est a Judæis, et dictum: « Nonne verum dicimus; Quia Samaritanus es, et dæmonium habes³? » Et ille objectorum duorum unum respuit, et unum tenuit: Ego, inquit, dæmonium non habeo. » Non autem dixit: Ego non sum Samaritanus. Si enim ille Samaritanus non custodierit, utique perimus. Samaritanus ergo transiens vidit saucium et vulneratum derelictum a latronibus, et sicut nostis, collegit. Sicut aliquando latronum nomine ponuntur, qui nobis plagas peccatorum inflixerunt, jam per consensionem nostræ captivitatis: sic et captivatores nostri ipsi dicuntur.

VIII. Isti ergo « Qui captivos duxerunt nos, » diabolus et angeli ejus, quando nobis dixerunt, et quando « Nos » interrogaverunt verba canticorum? » Quid ergo intelligimus? Quia, cum tales nos interrogant, in quibus diabolus operatur, intelligendus est ipse nos interrogare, qui in eis operatur. Apostolus dicit: « Et vos cum essetis mortui » in delictis et peccatis vestris, cum viveretis in illis se-

¹ Sap. vii, 27. — ² Luc. x, 30 et seqq. — ³ Joan. viii, 8.

» eundem sæculum mundi hujus, secundum principem
 » potestatis aëris hujus, spiritus qui nunc operatur in
 » filiis diffidentiae, in quibus et nos, inquit, aliquando
 » conversati sumus¹. » Ostendit se redemptum de Baby-
 lonia cœpisse jam exire. Sed tamen adhuc quid dicit? Quia
 cum hostibus nostris conflagimus. Et ne irascamur homi-
 nibus, qui nobis ingerunt persecutiones, tulit intentionem
 nostram Apostolus ab odio hominum, et direxit in luctam
 quorundam spirituum, quos non videmus, et cum ipsis
 conflagimus. Ait enim: « Non est vobis colluctatio adver-
 » sus carnem et sanguinem, » id est, adversus homines
 quos videtis, a quibus mala videmini pati, qui vobis im-
 portant persecutiones: nam pro ipsis orare præcepti sum-
 mus. « Non est vobis, inquit, colluctatio adversus carnem
 » et sanguinem, id est, adversus homines: sed adversus
 » principes, et potestates, et rectores mundi, tenebrarum
 » harum². » Quid dixit, mundi? Dilectorum mundi. Hos
 appellavit et tenebras, id est, iniquos, sceleratos, infide-
 les, peccatores: quibus jam credentibus gratulatur hoc
 modo, ut dicat: « Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc
 » autem lux in Domino³. » Ergo constituit nos luctam
 habere cum illis principibus: ipsi nos duxerunt captivos.

IX. Quomodo autem diabolus intravit in cor Judæ, ut
 traderet Dominum⁴, non autem intraret, nisi illi locum
 daret: sic multi mali homines de media Babylonia per de-
 sideria carnalia et illicita locum dando diabolo et angelis
 ejus in cordibus suis, ut in illis et de illis operetur, ali-
 quando interrogant nos, et dicunt nobis: Exponite nobis
 rationem. Pagani plerique dicunt ista nobis: Exponite ra-
 tionem, quare venit Christus, et quid profuit Christus
 generi humano? Nonne ex quo venit Christus pejora sunt
 in rebus humanis, quam fuerunt antea, et feliciores tunc

¹ Ephes. II, 1-3. — ² Id. VI, 12. — ³ Id. V, 8. — ⁴ Joan. XIII, 27.

erant res humanæ quam modo? Dicant nobis Christiani,
 quid boni attulit Christus? unde feliciores putent res hu-
 manas, quia venit Christus? Vides enim si theatra et am-
 phitheatra et circi starent incolumes, si nihil caderet de
 Babylonia, si ubertas esset circumfluentium voluptatum
 hominibus cantaturis et saltaturis ad turpia cantica, si
 libido scortantium et meretricantium haberet quietem et
 securitatem, si non timeret famem in domo sua qui cla-
 mat ut pantomimi vestiantur; si hæc omnia sine labe, sine
 perturbatione aliqua fluerent, et esset securitas magna nu-
 garum, felicia essent tempora, et magnam felicitatem rebus
 humanis Christus attulisset. Quia vero cæduntur iniquita-
 tes, ut extirpata cupiditate plantetur charitas Jerusalem;
 quia miscentur amaritudines vitæ temporali, ut æterna de-
 sideretur, quia erudiuntur in flagellis homines, paternam
 accipientes disciplinam, ne judiciariam inveniant senten-
 tiam; nihil boni attulit Christus, et labores attulit Chris-
 tus. Et incipis dicere homini quanta bona fecerit Chris-
 tus, et non capit. Proponis enim illi eos qui faciunt,
 quod modo audistis in Evangelio: « Vendunt omnia sua
 » et dant pauperibus; ut habeant thesaurum in cœlis, et
 » sequantur Dominum¹. » Dicis illi: Ecce quod attulit
 Christus. Quam multi faciunt ista, ut distribuant res suas
 egenis, et fiant pauperes, non necessitate, sed voluntate,
 sequentes Deum, sperantes regnum cœlorum. Irrident
 isti quasi stultos: Et talia, inquiunt, bona attulit Chris-
 tus, ut perdat homo res suas, et cum dat egenis, rema-
 neat egenus? Quid ergo facies? Bona Christi non capis.
 Alius enim te implevit, qui adversarius est Christo, cui
 dedisti locum in corde tuo. Priora tempora respicis, et
 quasi lætiora tibi videntur fuisse tempora pristina, quæ
 sic erant tanquam olivæ pendentes in arbore, ducentibus

¹ Matth. XIX, 21.

ventis, quasi quadam libertate auræ perfruentes vago quodam desiderio suo. Ventum est ut oliva mitteretur in torcular. Non enim semper pendere habebat in arbore, jam finis est anni. Non sine causa inscribuntur Psalmi quidam, « Pro torcularibus¹ : » in arbore libertas, in torculari pressura. Cum enim res humanæ conteruntur et premuntur, attendis quia crescit avaritia : attende quia crescit et continentia. Quare tam cæcus es, ut amurcam fluentem per plateas videas, oleum in gemellaria non videas? Et hoc non sine causa. Qui enim male versantur, publice noti sunt : qui autem se convertunt ad Deum, et a sordibus malarum cupiditatum purgantur, occulti sunt : quia et in ipso vel ex ipso torculari amurca aperte fluit, oleum occulte eliquatur.

X. Acclamatis ad ista, et gaudetis ad ista : quia jam potestis sedere super flumina Babylonis, et flere. Illi autem qui captivos duxerunt nos, quando intrant in corda hominum, et interrogant nos per linguas eorum quos possident ; et dicunt nobis : « Cantate nobis verba canticorum ; » reddite nobis rationem adventus Christi, et quæ est alia vita? volo credere, doce me rationem, quare mihi imperas ut credam? Respondeo illi, et dico : O homo, quomodo non vis tibi imperem ut credas? Plenus es malis cupiditatibus : si dicam bona illa Jerusalem, non ea capis : oportet ut exinaniaris quo plenus es, ut possis impleri quo inanis es. Ergo noli facile huic aliquid dicere : lignum est salicis, lignum est sterile. Noli percutere organum ut sonet, suspende potius. Sed ille dicturus est : Dic mihi, canta mihi, redde mihi rationem. Non vis, inquit, ut discam? Non bono animo audis, non sic pulsas ut tibi dignum sit aperiri. Ille te implevit qui me captivum duxit, ipse me interrogat de te. Astutus est, dolose

¹ Psal. VIII, LXXX et LXXXIII.

quærit : non quærit quod discat, sed quid reprehendat. Ergo ego non dicam, suspendam organum meum.

XI. Sed quid dicturus est adhuc? « Cantate nobis verba » canticorum, cantate nobis hymnum, cantate nobis de » canticis Sion. » Quid respondemus? Babylonia te portat, Babylonia te continet, Babylonia te nutrit, Babylonia de te loquitur : non nosti capere nisi quod fulget ad tempus, æterna meditari ignoras, non capis quod interrogas. « Quomodo cantabimus canticum Domini in terra » aliena¹? » Vere, fratres, sic est. Incipite velle prædicare veritatem quantulumcumque nostis, et videte quam necesse sit ut tales patiamini irrisores, exactores veritatis, plenos falsitatis. Respondere illis exigentibus a vobis quæ capere non possunt, et dicite ex fiducia sancti cantici vestri, « Quomodo cantabimus canticum Domini in terra » aliena? »

XII. Sed vide quomodo verseris inter eos, o popule Dei, o corpus Christi, o generosa peregrinatio : (non es hinc, aliunde es :) ne cum illi qui tibi dicunt, « Cantate » nobis verba canticorum, dicite nobis hymnum, cantate nobis de canticis Sion, » quasi amantur a te, et affectas amicitias eorum, et times talibus displicere, incipiat te delectare Babylonia, et obliviscaris Jerusalem. Hoc ergo timens vide quid subjiciat, vide quid sequatur. Passus est enim homo iste qui cantabat; et iste homo nos sumus, si volumus : passus est undique talia interrogantes et adulatione blandientes, mordaciter reprehendentes, falso laudantes, quod non capiunt exigentes, quo pleni sunt fundere nolentes : et inter turbas talium tanquam periclitans, erexit animum ad recordationem Sion, et constrinxit se talis anima juratione quadam, et ait, « Si obli- » tus tui fuero, Jerusalem² : » inter verba captivantium,

¹ Psal. CXXXVI, 4. — ² Ibid. 5.

inter verba dolosorum, inter verba male interrogantium, quærentium et discere nolentium.

XIII. Ecce inde erat dives ille, qui Dominum interrogavit, « Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam » consequar¹? » Nonne de vita æterna quærens quasi canticum Sion interrogavit? Serva mandata, ait illi Dominus. Et ille de fastu, cum audisset, Jam omnia hæc, inquit, implevi a juventute mea. Et Dominus dixit illi quiddam de canticis Sion; et noverat quod non caperet: sed exemplum dedit nobis, quomodo multi quærant quasi consilium ad vitam æternam, et tandiu nos laudent, quandiu respondeamus quod quærent. Dedit de illo documentum, tanquam nobis dicturis aliquando talibus hominibus, « Quomodo cantabimus canticum Domini in » terra aliena? » Ecce ait, « Vis esse perfectus? Vade, » vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis » thesaurum in cœlo, et veni, sequere me. » Ut discat multa cantica de canticis Sion, prius impedimenta rejiciat, expeditus ambulet, ne ullo onere prægravetur; et discet aliquid de canticis Sion. Ille autem contristatus abscessit. Dicamus post illum, « Quomodo cantabimus canticum » Domini in terra aliena? » Et ille quidem discessit, spem tamen divitiis Dominus dedit. Nam contristati Discipuli dixerunt, et Quisnam potest salvus fieri? » Respondit eis, » Quod hominibus impossibile est, facile est Deo. » Habent enim et divites quemdam modum suum, et acceperunt canticum de Sion, canticum de quo Apostolus dicit, « Præcipe divitibus hujus sæculi non superbe sapere, » neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, » qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum. » Adjungens quid debeant agere, jam tangit organum, non suspendit: « Divites sint in operibus bonis, facile tribuant,

¹ Matth. xix, 16.

» communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam¹. » Hoc canticum de canticis Sion divites acceperunt, primo non superbe sapere. Extollunt enim divitiæ: et quos extollunt, flumina illa tollunt. Quid ergo his præcipitur? Ante omnia non superbe sapere. Quod faciunt divitiæ, hoc caveant in divitiis: caveant in divitiis superbiam. Ipsum enim malum est, quod important maxime divitiæ incautis hominibus. Non enim aurum malum est, quod Deus condidit: sed malus est homo avarus relinquens Creatorem, conversus ad creaturam. Hoc ergo ibi præcaveat, ne sit superbus, et super fluvium Babylonis sedeat. Hoc illi enim dictum est, Non superbe sapere: ergo sedeat. Neque sperare in incerto divitiarum: ergo super flumina Babylonis sedeat. Si enim speravit in incerto divitiarum, trahitur a flumine Babylonis. Si vero humiliaverit se, et non superberit, et non speraverit in incerto divitiarum, sedet super fluvium, suspirat æternæ Jerusalem recordatus Sion; et ut perveniat ad Sion, erogat. Ecce habes canticum, quod divites acceperunt de canticis Sion. Operentur, tangant organum, non vacent, cum invenerint hominem dicentem sibi, Quid est quod facis? Perdis res tuas tanta erogando: thesauriza filiis tuis. Cum viderint non capere, et intellexerint lignum esse salicis: non facile dicant quare agant, et quid agant, suspendant organa in salicibus Babylonis. Præter salices autem cantent, non cessent, operentur. Non enim perdunt quod erogant. Servo commendant, et tutum est; Christo commendant, et perit?

XIV. Audistis canticum divitum de canticis Sion, audite et canticum pauperum. Idem Paulus loquitur, « Ni- » hil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre ali-

¹ 1 Tim. vi, 17-19.

» quid possumus : victum et tegumentum habentes, his
 » contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt
 » in tentationem et desideria multa, stulta et noxia, quæ
 » mergunt hominem in interitum et perditionem¹. » Hæc
 » sunt flumina Babylonis. « Radix est enim omnium malo-
 » rum avaritia, quam quidam appetentes naufragaverunt
 » a fide, et inseruerunt se doloribus multis². » Ergo con-
 » traria sunt ista cantica? Non sunt contraria. Videte quid
 » divitibus dictum sit, « Non superbe sapere, neque spe-
 » rare in incerto divitiarum³, » bona operari, tribuere,
 » thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum. »
 » Pauperibus autem quid dictum est? « Qui volunt divites
 » fieri, incidunt in tentationem. » Non dixit, Qui divites
 » sunt : sed, « Qui volunt divites fieri. » Nam si jam divites
 » essent, alterum canticum audirent. Dives audit ut eroget,
 » pauper audit ne desideret.

XV. Sed cum inter tales versamini, qui non capiunt
 » canticum Sion, suspendite, ut dixi, organa in salicibus
 » in medio ejus : differte quæ dicturi estis. Incipiunt esse
 » ligna fructuosa, mutantur arbores, et habebunt fructum
 » bonum ; ibi jam licet nobis cantare in aures audientium.
 » Sed cum inter istos obstrepentes, male interrogantes,
 » veritati resistentes versamini, obstringite vos non eis velle
 » placere, ne obliviscamini Jerusalem : et dicat una anima
 » vestra, facta una ex multis pace Christi, dicat ipsa cap-
 » tiva Jerusalem hic agens in terra, « Si oblitus tui fuero,
 » » Jerusalem, obliviscatur me dextera mea⁴. » Vehemen-
 » ter se constrinxit, fratres mei : « Obliviscatur me dextera
 » mea : » atrociter se obligavit. Dextera nostra est vita
 » æterna, sinistra nostra est vita temporalis. Quidquid facis
 » propter vitam æternam, dextera operatur. Si charitati
 » vitæ æternæ in operibus tuis miscueris concupiscentiam

¹ 1 Tim. vi, 7-9. — ² Ibid. 10. — ³ Ibid. 17, 18. — ⁴ Psal. cxxxvi, 5.

vitæ temporalis, aut laudis humanæ, aut alicujus com-
 » modi sæcularis, cognovit sinistra tua quid faciat dextera
 » tua. Et nostis esse in præcepto Evangelii, « Nesciat si-
 » nistra tua quid faciat dextera tua¹. Si oblitus ergo,
 » » inquit, tui fuero, Jerusalem, obliviscatur me dextera
 » mea. » Et vere sic contingit : prænuntiavit, non optavit.
 » Talibus qui obliviscuntur Jerusalem, hoc contingit quod
 » dixit, obliviscitur illos dextera eorum. Vita enim æterna
 » manet in se : illi remanent in delectatione temporali, et
 » faciunt sibi dextrum quod sinistrum est.

XVI. Intendite ad ista, fratres, propter dexteram insi-
 » nuem hoc vobis, quantum Dominus donat, ad salutem
 » omnium. Meministis fortasse hic me aliquando tractasse
 » de quibusdam, qui quod sinistrum est, faciunt dextrum :
 » id est, qui temporalia bona plus habent, et in istis beati-
 » tudinem ponunt, ignorantes quæ sit vera felicitas, vera
 » dextera². Hos Scriptura filios alienos dicit, tanquam cives
 » non Jerusalem, sed Babylonis : dicit enim quodam loco
 » Psalmus, « Domine, libera me de manu filiorum alieno-
 » rum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera
 » » eorum dextera iniquitatis. » Sequitur enim et dicit,
 » « Quorum filii eorum sicut novellæ constabilitæ; filia
 » » eorum ornatae sicut similitudo templi; cellaria eorum
 » » plena, eructantia ex hoc in hoc; oves eorum fœcundæ,
 » » multiplicantes in exitibus suis; boves eorum crassæ :
 » » non est ruina sepis, nec clamor in plateis eorum³. »
 » Numquid habere istam felicitatem ; hoc est peccare? Non,
 » » sed facere illam dexteram, cum sit sinistra. Propterea se-
 » » cutus quid ait? « Beatum dixerunt populum cui hæc
 » » sunt. » Ecce unde locutum est os eorum vanitatem,
 » » quia beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Tu quidem

¹ Matth. vi, 3. — ² Vide Enarrat. in Psalm. cxx, n. 8. — ³ Psal. cxxliii, 7, 8.